

cissimos quidem, et assiduos: quos ego non discipulos philosophorum, sed inquilinos voco. Quidam veniunt, ut audiant, non ut discant, sicut in theatrum voluptatis causa, ad delectandas aures oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philosophi schola deversorium otii fit. Non id agunt, ut aliqua illic vitia deponant, ut aliquam legem vitae accipiant, ad quam mores suos exigant, sed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen et cum pugillaribus veniunt, non ut res excipiant, sed verba: quae tam sine profectu alieno discant, quam sine suo audiant.

Leg. II. 10, 11. Caste jubet lex adire ad deos; animo videlicet, in quo sunt omnia. Nec tollit castimoniam corporis; sed hoc oportet intelligi, quum multum animus corpori praestet, observeturque, ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id servandum magis. Nam illud incestum vel aspersione aquae, vel dierum numero tollitur: animi labes nec diurnitate evanescere, nec annibus ullis elui potest. Quod autem pietatem adhiberi, opes amoveri jubet, significat, probitatem gratam esse deo, sumtum esse removendum. Quid est enim, quum paupertatem divitiis etiam inter homines esse aequalem velimus, cur eam, sumtu ad sacra addito, deorum aditu arceamus? Praesertim quum ipsi deo nihil minus gratum futurum sit, quam non omnibus patere ad se placandum et colendum viam. Quod autem non homo iudex, sed deus ipse vindex constituitur, praesentis poenae metu religio confirmari videtur. Suosque deos aut novos, aut alienigenas coli, confusionem habet religionum, et ignotas caeremonias sacerdotibus. Nam a patribus acceptos deos, ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi.

Patrum delubra esse in urbibus censeo; nec sequor magos Persarum; quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque